

## **Theses medicae ... / [Karl Wilhelm Nose].**

### **Contributors**

Nose, Karl Wilhelm, 1753-1835.  
Université de Strasbourg.

### **Publication/Creation**

Argentorati : Ex prelo Jonae Lorenzii, [1777]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/aqds3a9k>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

6  
THESES MEDICAE

QUAS

PRO LICENTIA

GRADUM DOCTORIS

RITE OBTINENDI

CONSENTIENTE ILLUSTRIS FACULTATE MEDICA

*A. D. XXIV MAJI MDCCLXXVII*

PUBLICICE DEFENDERE CONABITUR

CAROLUS GUILIELMUS NOSE

BRUNSVICENSIS.



ARGENTORATI

Ex Prelo JONÆ LORENZII Typographi.






## L E C T O R I.

*D*E *Respiratione Amphibiorum* specimen edere, jam ab aliquo retro tempore mecum constitueram. Occupatus itaque in perquirendo, quae forsan de ea re apud Auctores habeantur, momenta (in quantum licuit: nam primarios quosdam, ad institutum adprime facientes, Italico sermone conscriptos libros semper adhuc desidero;) & quo potissimum modo labor sit dirigendus, in quo is collocandus, animo volutans, tempus, cursui medico dictatum, per tenue, quod tironi, artem suam paullo severius meditantis contingere solet otium, effluxit nimis cito omne. Jam vero requirit rei nondum ab omni parte exhaustae dignitas insignem sane observationum caute ac crebro factarum numerum, quarum quidem nonnullas utique collegi; sed major, imo maxima pars adhuc perficienda superest. Accedit his animalium, in quorum intimos recessus inquirere debeo, penuria, quam hicce locorum aegre sensi. Urget praeterea iter in alia, disquisitionibus meis omnino aptiora, quae Danubius alluit, loca instituendum. Consultius itaque duxi, si molestiis suis aequae ac voluptatibus non carentem laborem in illud tempus differrem, in quo calidiori Italiae & mari propior largiorem, operi quod molior vacandi, occasionem nacturam spero: nunc autem ad Privilegia Doctoralia capeffenda sapienter requisitum actum disputatorium, indulgente omnino Illustri Medicorum Ordine, thesibus quibusdam medicis absolverem: licet mutati consilii tenuitatem ipse sentiam, & adhuc magis sentirem, ni spes esset, me hac ratione absolutius, & quam forte de me conceperunt Fautores atque Amici, opinioni convenientius quid fore praestitutum.





## THESES MEDICAE.

1. **M**ucum in variis locis pro secundaria bile habeo.
2. Ceruminis acerba amarities num unice infecta forte illapsa necandi ergo? Sed pili monent; infectis omne oleosum inimicum! Nonne toni roborisve cutis tuendi ergo?
3. Musculis auriculae alium praeter motum usum, ad firmandam vivi ligamenti instar partem forsan, inesse, suadere videntur: analogia; motus in omnibus fere absentia; praesentia non valde proficua.
4. Sequentes causas consensus seu sympathia agnoscit: Nexum nervorum, vasorum, continuationem telae cellulosae & membranarum, similitudinem fabricae & officii, partium vicinitatem, ex singulis unam vel plures.
5. Nimis magna adhucdum vasorum diameter secessum partium Rubiae Tinctorum in cartilagine vetare videtur.
6. Non semper periculum denotat vesicantium in parte, cui adplicabantur, inertia.
7. In defectu bilis, aliis non obstantibus cum suecessu opium dari posse videtur.
8. Opii in clysmatibus usus non raro efficacior tutiorque.
9. Medicamentorum fallax saepe index sapor & odor.
10. Alvus ab emetico per consensum solvitur.
11. Senibus utique ferrum noxium est.



12. Aquarum martialium usus in morbis pectoris non semper noxius.
13. Secure datur Elixir Vitrioli Mynsichti sub usu lactis.
14. Tutum & utile purgans est Scammoneum.
15. Novorum illorum remediorum felicius successus maxima pars, debetur constantiae, majori dosi, exquisitae attentioni.
16. Num Castoreum revera tam inutile, ut *Riverius*, *Stahl*, *Junker*, & *Tissot* volunt? Sane non videtur.
17. Non omni exceptione majus, bubulam carnem a viribus digestionis laesis difficillime ferri.
18. Inest quoque naturae morbosae idiosyncrasia, haud raro pravae adfectionis systematis nervosi progenies.
19. Symptomata nervosa quantumvis gravia, post morbos inflammatorios nonnumquam adparentia, tuto naturae relinquuntur.
20. Cauta observatio multas intermittentes ad remittentium febrium classem relegat.
21. Sua & commoda & noxae sexus discrimen infert: utrorumque justa compensatio videtur.
22. Pulsus observatio in pluribus locis simul, magnae per saepe utilitatis.
23. Est in votis Medicina ex lingua, qualem ex pulsu dedit *Wetsch*.
24. Somni licet reficientis cauta profligatio tempore crisis, quibusdam in morbis prudentis medici est.
25. Transpiratio suppressa nequaquam tantorum malorum subitaneus fomes.
26. Vim aequae infert vasis nimia depletio ac repletio.



27. Num urinae criticae in febribus crassities recte  
semper a materia peccante jam eliminata, deriva-  
tur? Dubius numquam non haesi.
28. Praeclarum signum latentis gangraenae ex con-  
vulsionibus a somno defunctum, explicationem  
omnino admittit.
29. Desidero opus, in quo sistatur completa syno-  
psis fallacium in morbis signorum, securitatem pol-  
licentium, licet revera sint periculosa.
30. Inflammatio non semper ad alias licet maxime  
vicinas partes proserpit. -- Dolor de essentia ejus  
non est.
31. Suppurationi absque praegressa inflammatione  
non crederem.
32. In aluo laxa non spernendum tutamen contra  
pleuritidem epidemice grassantem.
33. Exstirpatio variolarum in eo quo versamur statu  
vix concipienda.
34. Exanthemata pleraque, inflammationibus internis  
supervenientia etiamsi non critica, non adeo me-  
tuenda sunt:
35. Non tollunt autem morbum, licet post evacua-  
tionem quamdam criticam, subito suppressam, ap-  
pareant.
36. Praegresso vomitu & urina criticis, cuti prae aliis  
omnimode prospiciendum.
37. Minus caute omnis praeparatio ad insitionem va-  
riolarum a *Campero* negligitur.
38. In debilitate intestinorum, vel praesente vel facile  
contrahenda, & ubi pronitas ad convulsiones adest,  
acidorum usus cavendus.



39. Sudor, licet spasmus seu convulsiones plerumque solvat aut mitiget, portendit tamen nonnunquam utrumque.
40. Spasmodorum quoque emolumenta non lenia sunt. Iis prudentem medicum aequè ac aliis morbis ad sanitatem revocandam uti posse, nullus dubito.
41. Observationes *Herissantii* ratione gingivarum canum praejudicium de dentitione difficili, ex earum adfectione explicanda, feliciter subvertunt.
42. Ex iis quoque, ut & ex *Hunterianis* patet, primam dentium seriem nequaquam per secundam expelli.
43. Sensus doloris in colica veram ejus sedem non semper indicat.
44. Urina coloratior in iis intestinorum inflammationibus, ubi nec febris, vel saltem levissima, nec dolores adsunt, aliquid prodere videtur.
45. Gustus morborum utilissima doctrina non sufficienter exculta videtur.
46. Morborum qui vespertino tempore exacerbantur causa in acrimonia latere videtur; qui mane, in materiae quantitate potius peccante.
47. In hydrope confirmato, nec purgantibus, nec diureticis, nec sudoriferis remediis aquam educi posse, pathologia uberrime evincit.
48. Non semper diaetae vitia pro causa agnoscit plethora.
49. Bechica stricte sic dicta senibus nocent.
50. Minus bene lotium copiosum limpidum, hominibus nervosis morbis adfectis commune, ex spasticis contractionibus unice explicatur.



51. Efficax ad partum promovendum in saphenae sectione habetur auxilium.
52. Quis credet, dari casus, ubi venaesectione flatulentiae; unguentum nervinum abdomini illitum, paralyfi crurum medeatur, nisi qui medelam causae adhibere didicerit?
53. Suo non destituitur fundamento suspicio a *Makitricks* imprimis prolata, inflammatoriae febris a putrida differentiam pendere a varie adfecto principio vitali, quo saucio, illa; quo profligato, haec producat.
54. Suilla caro in scorbuto non nocet.
55. Trisimi in tot morbis spasmodicis praesentia, non male a pinguedine, fibras musculares molliores reddente, & nervorum copia in facie reperiundorum, explicatur.
56. Quam fere turpem dixerim circa colicam saturninam & Pictonum confusionem, optime evitasse videtur *Vogel*.
57. Optima methodus auditum difficilem a nimia quantitate ceruminis inspissati ortum solvendi, est aqua calida.
58. Petechiarum ordo duplex est, causas plane oppositas, difficulter tamen nonnunquam distinguendas, agnoscit, diversam ergo prorsus curam requirit.
59. Quae observantur phaenomena in acrimonia acida, ejusque contrario alcalina, theoriam ortus Alkali ex Acido utique suffulcire videntur.
60. Mercurius, quem in Oleo Vitrioli reppererunt post *Kunkel*, *Delius* cum *Müller* & *Jahn*, nunc facilius quam antea, duce *Wernberger* explicatur.



61. Cinnabaris odoris non expers est.
62. Differt omnino Cinnabaris ex sulphure Antimonii parata ab alia Cinnabari factitia.
63. Resina Copal & Oleum formicarum destillatione obtentum certis sub encheiresibus omnino in Alcoholi dissolvuntur.
64. Circa Acidi Vitriolici mixtionem ex Terra & Aqua summe dubius haereo.
65. Arseuicum Mercurio sublimato corrosivo inhaerens, magna malorum parte accusandum, quae nimis frequenter in Auctoribus occurrunt, persuasum habeo.
66. Suspicionem, Camphoram copiosiore, quod recipit, acido a reliquis oleis odoratis differre, augent, quae circa ejus destillationem cum Argilla observantur phaenomena.
67. Spiritum inflammabilem ex lacte obtineri posse, loqui videtur, quod ex fero obtinetur, productum.
68. Oleum Vitrioli via humida majorem adfinitatem alit cum Principio Inflammabili, quam cum Alkali fixo: Contrarium obtinet via sicca. Plura ejusmodi exempla in Chemia occurrunt.
69. Num Stanno peculiare id inest, quod sese ab omni colore immune semper fervet? Quae circa *Purpuram Cassii & Alkali phlogisticatum* observantur, huic suspicioni ansam dederunt.
70. Errant qui Oleum Vitrioli ideo genuinum reputant, quia album est. Ex hac cautela neglecta dissensus inter Auctores ratio explicatur.

